

immutationem organi. Ergo videtur quod dæmon tentando nos, possit facere in nobis peccatum esse; & ita tentatio quæ est tantum ab hoste, peccatum erit.

Sed contra. Ut dicitur Matth. iv. Christus à diabolo tentatus fuit. Sed in eo locus peccati non fuit: unde ipse dicit Joan. xiv. 30. *Veni princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Ergo non omnis tentatio quæ est ab hoste, peccatum est.

Præterea. Ut Augustinus dicit, Lib. III. de lib. arbit. cap. xviii. *nullus peccat in eo quod vitare non potest.* Sed homo nullo modo vitare potest quin hostis eum tentet. Ergo tentatio quæ est ab hoste, non est peccatum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccatum unius non consistit in actu alterius, sed in actu proprio, prout dicitur Ezech. xviii. 20. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* In tentatione autem carnis, ipse appetitus illicitus, secundum quem aliquis tentari dicitur, est actus ejus qui tentatur: non enim sola caro concupiscit, sed conjunctum: & ideo talis tentatio est peccatum in eo qui tentatur. Tentatio autem quæ est à mundo vel ab hoste, est à principio extrinseco: unde actus non pertinet ad tentatum, sed passio tantum: & propter hoc non est peccatum in tali tentatione, nisi per delectationem consensus: quia tunc tentatus incipit cooperari tentanti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis potestas dæmonis sit simpliciter major quam potestas hominis, tamen quantum ad aliquid non est major, scilicet quantum ad actus liberi arbitrii, qui cogi non possunt: quia horum actuum ipse homo dominus est, & non dæmon: & ideo potest homo tentationi ejus resistere.

Ad secundum dicendum, quod tentatio carnis pro tanto dicitur esse gravior, quia est ipsi tentato proximior, secundum quod per eam quodammodo in diversa desideria dividitur, interioris, & exterioris hominis. Nec tamen est ibi violentia absoluta, quia interior homo non cogitur sequi motum exterioris hominis: unde adhuc remanet ratio peccati, & magis quam in tentatione hostis, secundum quod ipsum desiderium est actus ipsius tentati, & quodammodo in potestate ejus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis homo non possit vitare tentationem carnis, ita quod nullam habeat, potest tamen vitare hanc, vel illam singulariter; & ita quodammodo est in potestate ejus. Sed tentatio quæ est ab hoste, nullo modo.

Ad quartum dicendum, quod dæmon potestatem habet imprimendi in imaginationem, vel representando aliqua sensibilia exterius, vel etiam turbando imaginem interius; & quomodo hoc sit, supra in tractatu de Angelis dictum est: & ideo secundum quod hoc modo imprimi in nos, tentare dicitur. Hæc autem impressio ex hoc non habet rationem peccati, cum non sit in appetitu, sed in apprehensione tantum; sed est tendens in peccatum, quantum est de ratione tentantis.

Ad quintum dicendum, quod motus vis concupiscibilis potest dupliciter insurgere. Vel ex qualitate organi, sicut calefacto corpore insurgit motus libidinis, sine aliqua imagine; & ille motus est pure

Ex Edit. P. NICOL. (a) Colligitur æquivalenter, non iisdem expresse verbis ex Lib. II. de Serm. Domini in monte cap. ix. Super illud, *Nē nos inducas etc.*

naturalis, nec rationem peccati habens; & ad hoc potest virtus dæmonis ex potestate suæ naturæ, quæ in transmutationem corporalium potest, nisi virtute divina cobibeatur. Alius motus concupiscibilis est qui insurgit ex apprehensione delectabilis, & ex parte illa appetitus concupiscibilis habet quamdam libertatem, ad minus in homine, secundum quod potest obedire imperio rationis prohibentis; & sic in concupiscibili potest esse peccatum. Sed hunc motum diaboli extorquere non potest.

ARTICULUS III.

Utrum tentatio sit appetenda.

I. P. quæst. xli. 2. ad 11.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod tentatio sit appetenda. Primo per hoc quod dicitur Jacob 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Sed illud de quo gaudendum est quando habetur, est appetendum cum non habetur. Ergo tentatio est appetenda.

2. Præterea. Illud in quo manifestatur bonum alicujus, est appetendum. Sed virtus mentis in tentationibus ostenditur, & ibi quodammodo refloret. Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Illud quod est materia, & organum virtutis, est appetendum. Sed, sicut dicit Augustinus, (a) tentatio cui non consentitur, est materia exercendæ virtutis. Ergo est appetenda.

4. Præterea. Illud sine quo non potest perveniri ad regnum, est studio appetendum. Sed tentatio est hujusmodi: quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit: II. Tim. 11. Certamen autem spirituale sine tentatione non est. Ergo tentatio est appetenda.

5. Præterea. Ut scribitur II. Corinth. xi. 1. Paulus petivit stimulum carnis à se removeri, per quem carnis tentatio intelligitur. Sed ibi dicit Glossa, quod ipse hoc petens nescivit quid peteret. Ergo videtur quod non est desiderandum extra tentationem esse.

Sed contra. Illud quod debemus orare, debemus desiderare. Sed Dominus Matth. vi. 13. docet nos orare, dicens: *Et ne nos inducas in tentationem.* Ergo debemus desiderare tentationes à nobis removeri.

Præterea. Sicut voluntas nostra debet divinæ voluntati esse conformis, ita à voluntate hostis debet esse discordans. Sed hostis vult, & petit nos tentare, ut habetur Luca xxii. 31. *Ecce satan expetivit vos, ut cribaret sicut triticum.* Ergo tentationem velle non debemus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum bonum sit obiectum voluntatis, & desiderii, eo modo aliquid est adamandum quo est bonum. Inter bona autem invenitur aliquid quod est bonum simpliciter, & per se, sicut bona honesta, quæ tamquam fines appetuntur sui gratia, etsi in aliud ducant: quia in omnibus honestis utilitas honestati coincidit, nisi in ultimo, quod est finis finium, quod propter se tantum appetendum est. Aliquid tamen est quod in se bonitatem habet, non tamen appetitur, si absolute consideretur; sed ex ordine ad finem bonitatem quamdam sortitur, quæ utilitas nominatur: & hæc sunt tantum propter aliud appetenda, ut sectio membri propter

ARTICULUS I.

Utrum diabolus ex invidia, & in forma serpentis tentaverit Evam.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur non fuisse talis tentationis progressus, qualis in littera describitur. Invidia enim respectu superioris est: unde dicitur Job v. 2. *Parvulum occidit invidia.* Sed Adam non erat superior dæmone, ad minus reputatione dæmonis, qui fuit superbissimus. Ergo non est ex invidia stimulatus ad tentandum.

2. Præterea. In primo statu anima corpori omnino imperabat. Ergo diversitas quæ erat ex parte corporis, nullo modo in animam redundabat. Sed mulier differebat à viro secundum corporis dispositionem: unde Philosophus in X. Metaph. (text. xxv. & xxvi.) dicit, quod mas & femina differunt differentiis materialibus. Ergo tunc temporis non oportebat quod femina esset minus sapiens, vel fortis quam vir; & ita nulla ratio videtur quare per mulierem ad virum tentando transierit.

3. Præterea. Tentatio est assimilatio boni ad fallendum, ut Cassiodorus super Psalmos (a) dicit. Si ergo iniquus persuasor tentare hominem disponebat, formam boni persuasoris, scilicet Angeli, assumere debuit.

4. Si dicatur, quod non fuit permissus, ne homo quasi violenter deciperetur; contra. Ad primum custodem pertinet magis infirmis majoris dispositionis auxilium exhibere. Cum ergo post peccatum, quando natura humana est infirmior, non cohibeatur Satanas quin in Angelum lucis se transformet, ut dicitur II. Corinth. x. multo minus tunc cohiberi debuit.

5. Præterea. Consideratio præcepti in actu à peccato retrahit; & sic tentationis effectum impedit. Si ergo tentator ad trahendum in peccatum venerat, videtur quod inconvenienter mulierem in memoriam præcepti adduxerit.

Sed contra est quod dicitur Sap. 11. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et ita videtur quod ex invidia diabolus commotus fuerit ad tentandum.

Præterea. Ut Augustinus (b) dicit, ordo tentationis interioris qui in nobis nunc agitur, repræsentat ordinem tentationis in primis parentibus servatum. Sed in nobis tentatio à sensualitate incipit, & per inferiorum rationem in superiores producit. Cum ergo sensualitas serpentem repræsentet, & inferior ratio mulierem, & superior virum; videtur quod decentissimus fuit talis ordo tentationis in primo peccato, ut in eo possit peccatorum sequentium similitudo ostendi.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut Magister dixit vii. distinct. dæmones quædam possunt per naturam suam potestatem quæ non possunt propter Dei, vel Angelorum cohibitionem; ita etiam & eorum astutia intellectus, & nequitia voluntatis in multis impeditur, ut non faciant omne quod volunt, etiam quod ad finem suam intentionis conveniens astute vident: unde in tentatione primorum parentum diabo-

sanitatem, & hujusmodi. Sed sciendum, quod ad finem aliquem consequendum contingit aliquid dupliciter ordinari, per se scilicet, & per accidens. Per se dico, quod, quantum est in se, in finem debitum ductivum est; per accidens autem, quod, quantum in se est, in aliud duceret, sed ex concursu alterius causæ ducit ad finem ipsum; sicut qui comedit venenum ut moriatur, & contingit ex hoc sanitas. Cum ergo causa per accidens non sit proportionata ad effectum, sed solum causa per se; ex ordine ad finem qui est per accidens, non erit dicendum aliquid bonum, vel appetibile simpliciter acceptum; sed solum concurrentibus omnibus quæ ad hunc effectum determinant. Dico ergo, quod tentatio per se ordinata est ad hominis perditionem; ad salutem vero non ordinatur nisi per accidens, scilicet ex hoc quod vincitur per auxilium gratiæ divinæ: & ideo tentari simpliciter non est appetendum; sed tentari, & vincere simul acceptum appetendum est. Sed quia propter nostram fragilitatem victoria nimis dubia est, ideo securius fugitur, quam queratur.

Ad primum ergo dicendum, quod beatus Jacobus loquitur de tentatione tribulationum, ad quarum patientiam hortatur, ut inter eas æquanimitem, & gaudium mentis servent: non enim aliter eas vincere possunt nisi per patientiam. Unde ipsum gaudium victoria quædam est: quod quidem est non de tentationibus secundum se, sed de patientia, quæ tentationem vincit.

Ad secundum dicendum, quod in tentationibus non relucet bonum hominis, nisi præsupposito quodam alio, scilicet earum victoria, cum qua appetendæ sunt.

Ad tertium dicendum, quod non sunt materia virtutis tamquam per se ad virtutem ordinatæ, sed per accidens tantum.

Ad quartum dicendum, quod tentationes non sunt necessariæ ut perveniatur ad regnum, nisi necessitate conditionata; sic scilicet ut si tentationes adveniant, non veniatur ad regnum, nisi vincantur. Sed tentationes advenire non est necessarium absolute, nisi secundum corruptionem status presentis, ex qua sequitur pugna carnis adversus spiritum, quæ tentatio dicitur.

Ad quintum dicendum, quod Paulus petens a se stimulum carnis removeri, recte petiit, habita consideratione ipsius stimuli absolute: sed quia considerato eventu pugne, in qua victor futurus erat, remotio stimuli non sibi expediebat, qui tamen eventus sibi certus non erat; pro tanto dicitur nescisse quid peteret; unde certificatus de victoria, verbo Domini dicentis (loc. cit.) *Sufficit tibi gratia mea*, patienter stimulum sustinuit.

QUESTIO II.

DEinde queritur specialiter de tentatione primorum parentum: & circa hoc queruntur tria. Primo. De progressu tentationis. Secundo. De quantitate peccati tentationem sequentis.

Tertio. Utrum Adam potuerit peccare venialiter antequam mortaliter.

In II. Sent. Tom. II.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Quod subjungitur ut ex Cassiodoro super Psalmos, & ut ex illo in origine super Psalmos, Albertus Magnus notat ad hanc ipsam distinct. art. 1. volens fortasse designare præfationem, vel prologum in Psalmos, nec per umbram occurrit. (b) Sic enim super Gen. ad lit. Lib. XI. cap. xxviii.

lus aliquid fecit quod voluit, ut scilicet à muliere tentationem inciperet, & ut aliena forma veniret; quod autem in forma serpentis veniret, non sponte elegit, sed ex permissione divina, quæ eum alias species, in quibus magis posset latere, assumere prohibebat, ut in littera dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod diabolus homini inuidebat, quem sibi superiorem futurum putabat, si illuc ascenderet unde ipse descenderat; & in hoc ipso jam superiorem quod ad bonum illud habendum paratus erat homo, quod ipse dæmon in perpetuum amiserat: nec in hoc aliquid ejus superbiæ derogatur, quia superbia potius est in appetitu excellentiæ, quam in æstimatione, nisi prout æstimatio ex appetitu excellentiæ nascitur, qui oculos mentis claudit. Unde superbi frequenter alios se superiores in multis æstimant, qui tamen multa sibi magis digna esse cogitant, propter alia bona in quibus alios excedere videntur: & ideo ex ipsa superbia invidiæ zelus oritur. Unde dicit Augustinus XI. super Gen. cap. xv. *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quod ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquantur, vel superioribus (1) quod eis non coæquetur.*

Ad secundum dicendum, quod alia est obedientia corporis ad animam in primo statu, & alia in ultimo. In primo enim statu sic erat subjectum corpus animæ ut nihil in corpore contingere posset quod contra bonum animæ foret vel quantum ad esse, vel quantum ad operationem; nec tamen removebatur quin etiam tunc secundum diversitatem corporum diversa fuisset dignitas animarum, cum oporteat animæ ad corpus proportionem esse, ut formæ ad materiam, & motoris ad motum: & ideo mulier, etiam quantum ad animam viro imperfectior erat. In ultimo vero statu talis erit subjectio ut etiam qualitas corporis sequatur virtutem mentis: unde secundum diversitatem meritorum erit anima unius alia dignior, & corpus gloriosius: unde non erit differentia propter sexum diversum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut in littera dicitur, aliam speciem in qua apparet, & præcipue boni Angeli, libenter elegisset; sed permissis non fuit. Ad quartum dicendum, quod quamvis homo in primo statu esset fortior, tamen post peccatum factus est cauior per experientiam mali: unde fraudibus hostis, quas quotidie experitur, melius resistere novit: vel quia in penam peccati hoc consecutum est ut homo, qui diabolo se sponte subiecit, violentius ab eo impugnetur.

Ad quintum dicendum, quod, secundum Philosophum in III. cap. 11. & in VII. Ethic. cap. v. omnis malus quodammodo ignorans est: oportet enim quod existimatio rationis in peccante corrumpatur, quia malum pro bono eligit. Hoc autem contingit dupliciter, vel in universali, vel in particulari. Rectam autem æstimationem in particulari corrumpit delectatio, ut Philosophus in VI. Ethic. cap. vi. dicit; & etiam aliæ passiones, quæ tunc inesse homini non poterant præter regulam rationis: & ideo oportuit ut in universali æstimatio corrumpere; & ideo præceptum ad memoriam reduxit tentator, ut æstimationem rectam falsis suasionibus corrumpere, & sic ad peccandum inclinaret. Vel dicendum, ut dicit Augustinus XI. super Genes. cap. xxx. quod

(1) Al. quod ei non coæquantur. (2) Al. facultas. (3) Al. potius. (4) Al. generantur.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic enim de natura boni c. vi. *Omnis natura quæ corrumpi potest, etiam ipsa aliquod bonum est: non enim posset ei nocere corruptio, nisi adimendo, & minuendo quod bonum est.* Similia etiam in Enchir. ad Laurentium, c. xii. L. de morib. Manich. c. 111. indicantur.

ideo prius interrogavit serpens, & respondit hæc mulier, ut in prævaricatione eset inexcusabilis, nec ullo modo dici posset, illud quod præceperat Deus, oblitam fuisse mulierem; quamquam & oblitio præcepti, maxime unius, & tam necessari, ad maximam culpam damnabilis negligentia pertineret. Verum tamen evidentior ejus transgressio est, cum memoria retinetur, & tamquam in illo Deus assistens, præsensque contemnitur.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum Adæ fuerit gravius omnibus aliis peccatis.

2. 2. quæst. CLXIII. art. 3.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum Adæ gravius fuerit omnibus aliis peccatis. Quia, sicut dicit Augustinus in Lib. XIV. de Civitate Dei, cap. xv. *Magna est enim in peccando iniquitas, cui tanta est in non peccando (1) facilitas.* Sed Adam facilius potuit vitare peccatum quam aliquis sequentium. Ergo ipse gravius peccavit.

2. Præterea, Augustinus (a) dicit, quod ex hoc aliquid est malum, quia admittit bonum. Sed peccatum primi hominis plus de bono ademit, totam naturam humanam corrumpens, quam aliquod peccatorum sequentium. Ergo pejus aliis fuit.

3. Præterea, Majori culpæ major pœna debetur. Sed peccatum Adæ gravissime punitum fuit à Deo, quia ad omnes posteros ejus pœna extenditur. Ergo gravius aliis fuit.

4. Præterea, Videtur quod etiam irremissibile fuerit. Quia bonum gratiæ excedit bonum naturæ. Angelus autem per peccatum à statu naturalium tantum cecidit, secundum opinionem illorum qui dicunt eos in naturalibus tantum creatos; homo autem etiam à statu gratiæ cecidit. Cum ergo tantum casus sit gravior, quantum gradus est altior, videtur quod irremissibilis fuerit peccatum Adæ quam etiam dæmonis.

5. Præterea, Bonum est (3) potentius quam malum. Sed Adam per peccatum totam naturam humanam corrumpit, quia in eo originaliter erat. Si ergo pœnitere potuisset, & sic remedium peccati sui habere, videtur quod totam naturam humanam reintegrare potuisset: quod falsum est, quia hoc solus Filius Dei potuit. Ergo idem quod prius.

Sed contra. Illud quod habet plures rationes mali, magis est malum. Sed Adam peccavit faciendo illud quod erat malum, solum quia prohibitum; multi autem peccant faciendo illud quod est utroque modo malum, & secundum se, & quia prohibitum. Ergo videtur quod multorum peccata graviora sint peccato Adæ.

Præterea, Peccatum quod est ex certa malitia, gravius est peccato quod est per ignorantiam. Sed peccatum primum hominis fuit quodammodo per ignorantiam, ut infra patebit. Ergo videtur quod eo multa graviora sint, quæ ex certa malitia (4) peccantur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in peccato possunt multa considerari, ex quibus peccatum gravitatem tra-

trahere potest; & contingit quod illud peccatum quod secundum unum est gravius, secundum aliud levius inveniat. Illud tamen simpliciter gravius considerandum est quod secundum plura, & potentiora gravius invenitur, & præcipue secundum speciem peccati; quia quantitas consequens speciem peccati, est peccato essentialior quam quæ circumstantias peccati sequitur. Secundum hoc ergo dicendum, quod peccatum Adæ quantum ad hoc gravius aliis fuit quod minori tentatione pulsatus cecidit, & quod facilius resistere potuisset; sed quantum ad speciem peccati, & quantum ad alias circumstantias, quæ peccatum magis exaggerant, multa graviora peccata sunt secuta.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod hoc fuit per accidens quod majorem læsionem intulit, ex hoc scilicet quod naturam integram invenit: unde non sequitur quod gravius cæteris fuerit, quia hoc idem etiam sequentia peccata fecissent; si talem naturam invenissent; sicut & secundum peccatum mortale gratia non privat, quia eam non invenit; sed privaret, si inveniret.

Ad tertium dicendum, quod pœna peccati Adæ dupliciter dicitur. Una quæ debetur sibi, in quantum est quoddam singulare peccatum; & personale; & sic multis aliis peccatis gravior pœna debita fuit. Alia quæ debetur sibi indirecte ratione infectionis originalis peccati ex ipso creatæ; & sic maxima pœna ipsum primum peccatum secuta est. Sed gravitas hujus pœnæ non commensuratur quantitati primi peccati, ut fuit quoddam personale peccatum, sed secundum quod corruptit naturam.

Ad quartum dicendum, quod quamvis gratia excedat naturam, tamen quia potentia naturalis est quæ substantiam actus administrat (qui ex gratia informat) ideo defectus naturalis boni magis excusat peccati actum quam etiam carentia gratiæ: gratia enim non elevat hominem, ut statim eliciat actum intellectus deiformis, quod tamen Angelus ex natura habet: & ideo magis facit ad irremissibilitatem peccati superioritas naturæ quam excessus gratiæ. Causa tamen quare peccatum Angeli est irremissibile, & non peccatum hominis, supra in tractatu de Angelis dicta est.

Ad quintum dicendum, quod sicut homo per se gratiam amittere potest, nec tamen per se potest gratiam recuperare, quia gratia virtutem naturæ excedit; ita etiam homo potuit integritatem innocentiam amittere, quæ conditionem naturæ excedebat, ut dictum est, nec tamen potuit eam recuperare, nisi ille qui supra naturam erat: nam gratia quæ postmodum Adæ reddita creditur, non nisi ad actus personales se extendebat: unde naturam in illud quod supra se est, elevare non poterat, scilicet in originalem justitiam, & impassibilitatem, quæ supra conditionem principiorum naturæ humanæ erat.

ARTICULUS III.

Utrum Adam in statu innocentie potuerit peccare venialiter.

1. 2. quæst. LXXXIX. art. 3. & de malo quæst. vii. art. 7.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Adam in primo statu venialiter peccare potuit. In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. & nos latent.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Lib. XIV. de Civit. Dei cap. xi.

tuit. Dispositio enim præcedit perfectionem. Sed veniale est dispositio ad mortale. Ergo videtur quod prius venialiter quam mortaliter peccaverit.

2. Præterea, Liberum arbitrium se habet ad opposita, & præcipue si confirmatum non sit. Sed liberum arbitrium hominis in primo statu confirmatum non erat. Ergo sicut poterat non peccare venialiter, ita etiam poterat peccare venialiter.

3. Præterea, Quicumque potest id quod plus est, potest illud quod minus est. Sed plus est peccare mortaliter quam venialiter. Cum ergo potuit peccare mortaliter, potuit peccare venialiter.

4. Præterea, Mortale peccatum magis reptignat rectitudini, & gratiæ quam peccatum veniale. Sed rectitudo innocentiam non impediēbat quin mortaliter peccare posset. Ergo multo minus impediēbat quin etiam venialiter peccaret.

5. Præterea, Impossibile est quod aliquis credat, vel æstimet illud de cujus contrario certus est. Sed Adam, ut dicit Augustinus, (a) credidit peccatum quod ipse committeret, veniale esse. Ergo ipse nesciebat se non posse venialiter peccare. Sed si non potuisset, scivisset se non posse, quia hoc nobilitatis in eo erat; & inconveniens est nos habere nobilissimos habitus, (1) qui nos lateant, ut Philosophus dicit in II. Poster. cap. xviii. Ergo Adam venialiter peccare potuit.

6. Si dicatur, quod non potuit peccare venialiter, quia non poterant inferiores vires averti nisi prius ratio superior averteretur; contra. In ratione superiori non tantum est peccatum mortale, sed etiam veniale. Ergo potuisset deordinatio aliqua in superiori ratione fuisse per veniale peccatum, sicut & quando aliquis aliquem motum infidelitatis sentit.

Sed contra. Peccatum veniale in nobis causatur ex pronitate ad peccandum, & ex quadam impulsionem carnis corruptæ. Sed hoc totum per peccatum secutum est. Ergo videtur quod ante mortale peccatum, veniale peccatum esse non potuit.

Præterea, Parvum motivum non commovet magnam virtutem. Sed veniale peccatum parvum habet motivum, in quo appetitus non ut in fine quiescit. Ergo eum virtus humana in primo statu esset fortissima: videtur quod per veniale peccatum commoveri non poterat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, talis erat primi status rectitudo ut superior pars rationis Deo subiceretur, cui subicerentur inferiores vires, quibus subiceretur corpus; ita quod prima subjectio erat causa secundæ, & sic deinceps. Manente autem causa, maneret effectus: unde sicut quamdiu homo erat subditus Deo, nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium animæ; ita etiam nihil in viribus animæ contingere poterat quod superior ratio non ordinaret in Deum. Quod autem in Deum recte ordinatum est, veniale peccatum non est; & ita veniale peccatum in primo statu contingere non poterat, sicut nec mors, nisi prius ordo mentis ad Deum tolleretur; quod sine peccato mortali fieri non potuit.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est dispositio. Quædam est quæ necessaria est ad esse ad ad quod disponit; & hæc semper præcedit illud ad quod

quod disponit, sicut calor formam ignis. Quaedam vero dispositio ordinatur ad facilitatem ejus ad quod disponit: quod quidem sine ea esse potest, sed non ita de facili, sicut quod ligna perfunduntur oleo, ut inflammantur citius; & sic veniale peccatum est dispositio ad mortale.

Ad secundum dicendum, quod Adam in primo statu habebat liberum arbitrium ad peccandum venialiter; sed hoc non poterat in actum exire, nisi prius peccaret mortaliter. Et ratio hujus dicta est. Vel potest dici, quod comparando liberum arbitrium ad objectum suum, confirmatum non erat; sed comparando unum ordinem ad alium, habebat quamdam confirmationem, ut scilicet inferior ordo superiorem inviolabiliter sequeretur.

Ad tertium dicendum, quod differt in potentiis activis, & passivis: quia in potentiis activis quod potest in plus, etiam in minus potest, ut qui potest ferre centum libras, potest etiam ferre decem; in potentiis autem passivis est e converso: qui enim potest pati à parvo, potest etiam pati à majori, ut si aliquis potest vinci ab uno, potest etiam vinci à duobus; sed non convertitur: & talis potentia est potentia peccandi, qui enim peccat, à peccati sui concupiscentia vincitur.

Ad quartum dicendum, quod rectitudo originalis justitiæ intantum repugnabat culpæ mortali ut simul cum ea esse non posset; tamen culpa mortalis, quæ ei opposita erat, ipsam privare poterat. Venialis autem culpa nec privare justitiæ originalem poterat, cujus principium erat in ordine superioris partis in Deum, à quo veniale peccatum non separat, nec simul poterat cum ea esse propter ordinem inferiorum sub superiori.

Ad quintum dicendum, quod Adam etsi peccare non posset venialiter, tamen poterat de hoc certus non esse: quod enim habitus nobilissimi nos non lateant, intelligitur de habitibus cognitivæ partis, de quorum perfectione certitudo est; non autem de habitibus affectivæ, qui latent, ut in charitate patet. Et præterea si scivisset in universali, poterat in particulari non considerare. Vel melius dicendum, quod veniale dicitur tripliciter: scilicet veniale ex genere, ut verbum otiosum; veniale ex causa, ut quod ex infirmitate, vel ignorantia geritur, quod excusabilitatem quamdam habet; & est veniale ex eventu, sicut culpam præcedentem mortalem confessio sequens venialem facit, ut Ambrosius (a) dicit, quia relinquitur reatus temporalis pœnæ. Cum ergo Augustinus

dicit quod credidit peccatum esse veniale, intelligitur veniale ex causa, quod quandoque etiam mortale est simpliciter.

Ad sextum dicendum quod sicut in parte intellectiva speculativa suprema pars est quæ principiis per se notis inhæret; ita in ratione practica suprema pars est quæ fini adhæret, quia finis in operabilibus est sicut principium primum indemonstrabile in speculativa, ut in VI. & VII. Ethic. cap. IX. Philosophus dicit: & hæc pars non potest deordinata esse nisi per peccatum mortale, quod finem contrarium ponit. Ab ordine autem hujus partis totus originalis justitiæ dependebat; & ideo nisi prius mortaliter peccasset; nulla inordinatio in eo esse potuisset.

EXPOSITIO TEXTUS.

Diaabolus per serpentem tentabat, in quo loquebatur. Modus quo Angeli boni, vel mali in assumptis corporibus loqui possunt, supra dist. VIII. quæst. I. art. 4. tactus est.

Serpens dictus est esse callidior. Videtur hoc esse falsum: quia quodcumque animal diaboli assumpsisset, eandem calliditatem habuisset, si propria calliditate astutus non erat, ut ipse subdit. Sed dicendum, quod in his quæ visibiliter gerebantur, ea quæ non videntur, intelligi poterant. Serpens autem etsi astutiam ad nocendum homini spiritualiter ex se non haberet, habet tamen astutiam ad nocendum (2) sibi corporaliter: unde astutia exterior serpentis astutiam spirituales dæmonis designat; & ideo callidior aliis animantibus dicitur propter astutiam dæmonis, qua movebatur, per quam & diabolus designabatur.

Sicut per energumenos, & phanaticos. Energumeni dicuntur quasi interius laborantes ab eo quod est in, & ergo quod est labor. Phanatici dicuntur ex hoc quod in phanis, vel templis idolorum à dæmonibus responsa accipiebant. Sed utrumque hic pro arreptis à dæmone accipitur.

Avaritia immoderata habendi cupiditas. Hoc quod hic dicitur de avaritia, non est intelligendum de ea secundum quod est speciale vitium, unum de septem capitalibus, quia sic non differt à superbia, quæ est appetitus immoderatus propriæ excellentiæ; sed sumitur hic avaritia prout est generale vitium ad omnia peccata, quæ in appetitu quorumcumque bonorum naturalium consistunt, ut curiositas, superbia, & hujusmodi, ut distinguit Augustinus XI. super Genes.

DISTINCTIO XXII.

(3) De origine illius peccati.

HIC videtur diligenter investigandum esse, quæ fuerit origo, & radix illius peccati. Quidam putant, quamdam elationem in animo hominis præcessisse, ex qua diaboli suggestioni consensit. Quod videtur Augustinus innuere super Genesim (Lib. XII. cap. v.) ita dicens: „Non est putandum, quod homo de jecere, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati sciret quam falso de se præsumpserit, & quod non bene se habet natura, si à faciente recesserit.“ Item in eodem (Lib. cap. xxx.) „Quomodo verbis tentatoris crederet mulier Deum se à re bona, & utili prohibuisse, nisi inesset ejus menti amor ille propriæ potestatis, & de se superba præsumptio? Quæ per tentationem fuerat convincenda, aut (4) perimenda. Denique non contenta suasionem serpentis, aspexit lignum bonum esu, decorum aspectu; nec credens se inde posse mori, forte putavit Deum alicujus causa significationis illud dixis-

(2) Vel ei, ut Nicolai. (3) Al. deest titulus. (4) Nicolai reprimenda. Ex Edit. P. Nicol. (a) Colligitur ex ejus Libro de Paradiso cap. XIV.

„dixisse. Ideo comedit, & dedit viro suo, fortassis cum aliqua suasionem, quam Scriptura intelligendam relinquit. Vel forte non fuit suaderi necesse, cum eam mortuam esse illo cibo non videret vir. Et cap. XXVII. Sicut ergo non est permissus diabolus tentare foeminam nisi per serpentem, ita nec virum nisi per foeminam; ut sicut præceptum Dei per virum venit ad mulierem, ita diaboli tentatio per mulierem ad virum transiret.“ (5)

Quod aliter locutus est diabolus in muliere quam in serpente.

In muliere vero, quæ rationalis erat, non est ipse locutus ut in serpente, sed persuasionem ejus; quamvis instinctu adjuvaret interius quod per serpentem gerebat exterius. Ex prædictis tentationis modus, atque progressus insinuat: nec non etiam quod prædiximus, innui videtur, scilicet quod tentationem præcesserit quædam (6) elatio, & præsumptio in mente hominis.

Objeccio contra illos qui dicunt, elationem præcessisse in mente.

Quod si ita fuit, non igitur alterius suggestionem (7) prius peccavit; cum auctoritas tradat, ideo peccatum diaboli incurabile esse, quia non suggestionem, sed propria superbia cecidit; hominis vero curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, & ideo per alium surgere potuit. Quocirca prædicta Augustini verba scilicet in actum illius peccati, ut scilicet lignum vitium ederet, & in has miserias per tentationem diaboli, nisi elatio comprimenda præcessisset, non utique tentationem, sed opus peccati. Talis enim fuit ordinis processus. Diabolus tentando dixit, Gen. III. 5. „Si (8) comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum & malum:“ quo audito, statim menti mulieris subrepsit elatio quædam, & amor propriæ potestatis: ex quo placuit ei facere quod diabolus suadebat; & utique fecit. Suggestionem igitur peccavit: quia tentatio præcessit, ex qua in mente ejus orta est elatio, quam peccatum operis secutum est, & pœna peccati.

Quæ fuit elatio mulieris.

ET talis quidem elatio in mente mulieris fuit pro certo, qua credidit, & voluit habere similitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans illud esse verum quod diabolus dicebat: & ideo specialiter mulierem commemorat Augustinus inquiens, ubi supra. „Quomodo crederet mulier diabolo, nisi esset in mente ejus de se superba præsumptio?“ Et quod ibi sequitur, scilicet „Quæ per tentationem fuerat convincenda, (9) vel perimenda,“ ad mulierem referendum est; ut intelligatur, quæ mulier, non quæ elatio, fuerat per tentationem convincenda, vel perimenda.

Quæ fuit elatio viri: an crediderit, & voluerit quod mulier.

Solet quæri, utrum illa talis elatio, & amor propriæ potestatis in viro fuerit sicut in muliere. Ad quod dicimus, quia Adam non fuit seductus eo modo quo mulier. Non enim putavit esse verum quod diabolus suggerebat. In eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum veniale putaverit quod per tangere prohibuisse, quia si tangerent, fierent sicut dii. Verumtamen prævaricator fuit Adam, ut testatur Apostolus. Potuit ergo aliqua elatio menti ejus inesse illico post tentationem, ex qua voluit lignum vitium experiri, cum mulierem non videret mortuam esca illa percepta. Unde Augustinus super Gen. XI. cap. XLII. „Cum Apostolus, Adam prævaricatorem fuisse ostendat, dicens, Rom. v. 14. In similitudinem prævaricationis Adæ: seductum tamen negat, ubi ait, I. Tim. II. 14. Adam non est seductus, sed mulier. Unde & interrogatus non ait: Mulier seduxit me, sed dixit: Dedit mihi, & comedi, Gen. III. 12. Mulier vero inquit: Serpens seduxit me, ibid. 13. Hanc autem seductionem proprie vocavit Apostolus, per quam id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est, scilicet quod Deus lignum illud, ideo tangere prohibuerit, quia sciebat eos, si tetigissent, sicut deos futuros, tamquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. Sed & si virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum late, re non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam; non tamen eum arbitror, si jam spirituali mente præditus erat, ullo modo credidisse, quod diabolus suggerebat.“

(5) Nicolai addit sequentia. Unde iterum Augustinus Lib. VIII. super Genesim ad lit. cap. XVII. „Merito quæritur, utrum hoc præceptum viro tantum Deus dederit, an etiam foemine: verba enim Scripturæ sic se habent: Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens. Non dixit, Præcepit eis. Deinde sequitur: Ab omni ligno quod est in paradiso edes. Non dixit, Ederitis. Deinde adjungit: De ligno autem cognoscendi bonum & malum non manducabitis. Jam hic tamquam ad ambos pluraliter loquitur: & pluraliter præceptum terminat, dicens: Qua die autem ederitis ex eo, morte moriemini. An sciens quod ei facturus esset mulierem, ita præcepit ordinatissime, ut per virum præceptum Domini ad foeminam perveniret? Sed Lib. XI. ut supra cap. XXXIV. Et hoc sane ad aliquam pertinet significationem, quod sicut præceptum viro datum est, per quem veniret ad foeminam, ita vir prior interrogatur, post præcepti transgressionem. Præceptum enim à Domino per virum usque ad foeminam; peccatum autem à diabolo per foeminam usque ad virum. Et iterum cap. XXVII. Sed in serpente diabolus ipse locutus est, utens eo velut organo ad exprimenda corporalia signa, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. Deinde nullo adhibito titulo, qui etiam in Magistri textu ad marginem tantum habetur, statim subnectit: „In muliere vero &c.“ (6) Al. electio. (7) Al. posteriorius. (8) Vulgata: In quocumque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii. (9) Nicolai, vel reprimenda.